

## INDEX CAPITUM LIBRI DUODECIMI

DE MERITO, QUOD EST EFFECTUS GRATIÆ SANCTIFICANTIS.

- CAP. I. *Utrum homines viatores possint apud Deum aliquid simpliciter seu de condigno mereri?*
- CAP. II. *Utrum ad meritum apud Deum aliquis actus hominis necessarius sit?*
- CAP. III. *Utrum libertas actus necessaria sit ut ille sit meritorius?*
- CAP. IV. *Utrum solus actus moraliter bonus possit esse meritorius apud Deum?*
- CAP. V. *Utrum ad meritum requiratur opus supererogationis seu consilii, vel possit esse etiam in opere præcepto?*
- CAP. VI. *Utrum solus actus internus voluntatis sit meritorius, vel etiam externus?*
- CAP. VII. *Utrum actus meritorius debeat esse supernaturalis, et ex aliqua actuali gratia profectus?*
- CAP. VIII. *Utrum solus actus elicited a charitate sit meritorius de condigno apud Deum?*
- CAP. IX. *Utrum actus elicited a virtutibus infusis sint meritorii de condigno sine peculiari relatione charitatis?*
- CAP. X. *Utrum actus virtutum moralium acquisitarum de se sufficiant ad meritum de condigno, vel relationem supernaturalem requirant, et quæ illa sit?*
- CAP. XI. *Utrum in actibus internis voluntatis imperante et imperato, sit plus meriti quam in imperante solo, et consequenter an actus imperatus habeat suum proprium meritum distinctum a merito actus imperantis?*
- CAP. XII. *Utrum intentio obtinendi præmii sit sufficiens vel necessaria ad meritum de condigno, vel potius illi repugnet?*
- CAP. XIII. *Utrum modus operandi ex metu, et necessitate vitandi aliquod damnum, ad meritum sufficiat vel illud excludat?*
- CAP. XIV. *Utrum status gratiæ in operante sit conditio ad meritum de condigno necessaria?*
- CAP. XV. *Utrum ad meritum necessarium sit hominem esse viatorem?*
- CAP. XVI. *Utrum ad meritum de condigno necessarium sit ut aliquis sibi mereatur, vel possit etiam alteri communicari?*
- CAP. XVII. *Utrum divina ordinatio et quasi lex positiva Dei sit ad meritum de condigno necessaria?*
- CAP. XVIII. *Utrum de necessitate meriti de condigno apud Deum sit, ut in promissione Dei sub conditione operum fundetur?*



- CAP. XIX. *Utrum merita justorum in peculiari applicatione et imputatione meritorum Christi nitantur, vel inde specialem valorem aut dignitatem habeant?*
- CAP. XX. *Unde habeant opera justorum ut magis meritoria sint?*
- CAP. XXI. *Utrum duratio seu continuatio actus, cæteris paribus, ejus meritum augeat?*
- CAP. XXII. *Utrum circumstantia, seu dignitas personæ, cæteris paribus, meritum operis augeat?*
- CAP. XXIII. *Utrum ex parte Dei aut Christi potuerit meritum bonorum operum augeri?*
- CAP. XXIV. *An possit aliquis de condigno primam gratiam vel remissionem peccati mereri?*
- CAP. XXV. *Utrum homo jam justificatus augmentum gratiæ de condigno mereri possit, et quando aut quomodo?*
- CAP. XXVI. *Utrum justus conservationem gratiæ, seu usque ad mortem perseverantiam in gratia, aliave gratiæ auxilia seu præsentis vitæ subsidia ad salutem æternam conducentia, de condigno mereatur?*
- CAP. XXVII. *Utrum homo possit de condigno mereri reparationem post lapsum?*
- CAP. XXVIII. *An justus primam gloriam seu totam gloriam a primo gradu de condigno mereantur?*
- CAP. XXIX. *An alia dona gloriæ sub meritum de condigno cadant?*
- CAP. XXX. *An Deus ex vera propria et speciali justitia præmium meritis Sanctorum de condigno retribuatur, ita quod esset injustus si illa non retribueret?*
- CAP. XXXI. *Utrum in beatitudine novus gradus gratiæ aut gloriæ sine ullo merito de condigno illis tribuatur?*
- CAP. XXXII. *An sit aliquod meritum de congruo distinctum a merito de condigno, quod sit verum hominis meritum apud Deum?*
- CAP. XXXIII. *Quæ conditiones ad meritum de congruo necessariæ sint, vel sufficient ex parte ipsius actus meritorii?*
- CAP. XXXIV. *Utrum ex parte personæ merentis aliqua specialis conditio ad meritum de congruo requiratur?*
- CAP. XXXV. *An meritum de congruo sit tantum respectu merentis, vel etiam respectu aliorum?*
- CAP. XXXVI. *Utrum, ad meritum de congruo, ex parte Dei requiratur promissio?*
- CAP. XXXVII. *Quid possit homo non justificatus sibi de congruo mereri?*
- CAP. XXXVIII. *Quid possit justus sibi vel aliis de congruo mereri?*



## LIBER DUODECIMUS

## DE MERITO

## QUOD EST EFFECTUS GRATIÆ SANCTIFICANTIS.

## PRÆLUDIUM.

1. *Effectus gratiæ physicus, vel moralis.* — De effectibus physicis gratiæ hic non tractandum. — Hactenus quæ ad essentiam, generationem, conservationem, augmentum et perfectionem gratiæ habitualis spectant, pertractavimus, ejusque causas et formalem effectum exposuimus; solum ergo superest ut de effectibus, quorum principium efficiens esse potest, et præsertim de merito, qui præcipuus et proprius hujus loci est, disseramus. Effectus enim gratiæ, generatim sumptus, in physicum et moralem distingui potest. Effectum physicum voco non omnem illum, qui veram et physicam entitatem habet, nam hoc commune est effectibus moralibus, sed illum, qui per propriam et per se efficientiam a gratia procedit; moralem autem effectum appello, qui, licet in se res vera et physica sit, a gratia tantum morali modo procedit, ita ut illa denominatio non ex modo entitatis, sed ex modo emanationis sumatur. Prior effectus gratiæ in superioribus est a nobis sufficienter explicatus; consistere enim videtur in solis actibus supernaturalibus; illi enim proprie et physice fiunt vel a gratia habituali per virtutes infusas, vel ab auxiliis gratiæ actualibus, vel a Deo per seipsum in nobis operante, vel nobiscum cooperante, quæ omnia in libris superioribus, præsertim in 3, 5 et 6, declarata sunt. Præter hos autem actus, cætera dona gratiæ habitualia non sunt effectus physici alterius gratiæ creatæ, sed a solo Deo immediate infunduntur, ac physice producuntur, conservantur et augentur, ut dictum etiam est. Atque ita explicando causas omnium gratiarum, effectus etiam physicos totius gratiæ declaravimus; nihil ergo de illis dicendum superest.

2. *Moralis triplex.* — Neque universim de illo effectu morali, qui est satisfactio. — Moraliter autem effectus gratiæ triplex esse videtur, quantum ex communi modo loquendi Theologorum et Patrum colligere possumus, scilicet, satisfactio, impetratio et meritum. Quibus addi posset conservatio et augmentum ejusdem gratiæ, nam quia est principium vitæ spiritualis, ideo ad modum viventium quasi vitaliter nutritur, conservatur et augetur. Sed hi effectus et explicati jam sunt in duobus libris proxime præcedentibus, et ad meritum reduci possunt, ut videbimus. Satisfactio autem, si sit pro culpa mortali, non pertinet ad hos effectus gratiæ, quia, si sit perfecta, non potest gratia puri hominis esse principium ejus; si vero sit imperfecta, non est effectus gratiæ habitualis. Unde eo modo quo est possibilis, ad causam disponentem pertinet, ut supra visum est, et ad imperfectum meritum reducitur. Si vero talis satisfactio sit pro culpa veniali separata a mortali, est quidem effectus gratiæ habitualis, sed reducitur etiam ad meritum, ut infra videbimus. Et de illo effectu ex professo disserui, tertia parte, tomo 1, disput. 4, in fine, et latius in tom. 4, disp. 12. Satisfactio denique pro peccata temporalis, cujus reatus manere solet post remissionem culpam, effectus quidem est habitualis gratiæ, quia opera nostra, nisi ex gratia procedant, ad hujusmodi recompensationem valorem non habent; quia vero hæc satisfactio pars est poenitentiae, ideo in dicto tom. 4, disputatione 37, explicatus est.

3. *Neque rursus de altero effectu morali, id est, impetratione proprie sumpta.* — Impetratio interdum late, interdum vero specialiter



sumi solet. Priori modo impetrare nihil aliud est quam ratione alicujus operis vel obsequii aliquid ab alio obtinere, in quo sensu cuilibet operi meritorio potest impetratio tribui; et præsertim, quando meritum est imperfectum, quod a Theologis de *congruo* nominatum est, solet juxta phrasim Augustini meritum impetratorium appellari, ut postea videbimus. Et sic etiam dixit Concilium Tridentinum, sess. 14, cap. 4, contritionem impetrare a Deo veniam peccatorum. Impetratio ergo in hoc sensu accepta sub merito includitur, et de illa in sequentibus dicemus, præsertim de merito congrui disputando. Alio vero modo magis proprio et speciali impetratio attribuitur orationi, tanquam proprius effectus ejus, quia in ea non consideratur, ex parte impetrantis, meritum vel aliud obsequium præter petitionem, quæ principaliter innititur bonitati Dei, a quo hoc postulamus. Atque hoc etiam modo sumpta impetratio est sine dubio moralis effectus gratiæ, quia petitio moraliter tantum obtinet suum effectum, et ut ad hoc valeat apud Deum, necessarium est ut a gratia procedat, quia nemo potest petere, quærere aut pulsare sicut oportet sine Spiritu sancti inspiratione et adjutorio, ut definit Concilium Arausicanum, canon. 6. Quia vero gratia hunc effectum specialiter operatur per orationem, quæ est actus religionis, ideo de hoc effectu specialiter disputatum est in tomo secundo de Religione, tractatu primo, libro primo, capite vigesimo tertio.

4. *De merito tractatio instituitur.* — Meriti definitio. — Solum ergo superest nobis hoc loco dicendum de merito, prout est peculiaris gratiæ effectus. Ratio enim meriti proprietatem quamdam significat, propriam humanorum operum, sub illis angelica etiam opera comprehendendo, quatenus cum ratione et libertate fiunt, nam talia opera sunt aliqua retributione digna, et ideo meritoria dicuntur, ut notavit D. Thomas 1. 2, quæst. 21, art. 3. Unde fit ut nomen meriti de se indifferens sit ad bonum et malum opus, quia utrumque aliqua retributione dignum est apud Deum, de quo propterea scriptum est quod reddidit unicuique secundum opera sua; et in Scriptura dicitur homo per peccatum mereri, vel iram Dei, ut Job. 6: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui*, vel supplicium et penam, ut ad Hebr. 10: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit*. De merito autem bonorum operum dicitur Ecclesiast. 16: *Omnis misericor-*

*dia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum*. Jam vero usu a Theologis receptum est, ut meritum simpliciter dictum in bonam partem sumatur pro merito præmii, nam meritum supplicii vocari solet demeritum, vel cum addito malum meritum, ut appellat Augustinus, libr. de Grat. et liber. arbitr., cap. 5 et 6, vel meritum supplicii, ex eodem in libr. 83 Quæstion., quæst. 68. Quocirca meritum generatim sumptum describi potest, ut sit opus aptum ad obtinendum aliquod præmium; vel si rationem meriti quasi in abstracto describere velimus, erit conditio vel valor operis, ratione cujus aliquod præmium, seu alicujus boni retributio illi correspondet.

5. *Meritum apud Deum duplex: naturale et gratuitum.* — Sic autem sumptum meritum commune est merito apud homines et apud Deum, nam respectu utriusque potest illa conditio, seu valor præmii seu mercedis in humano opere inveniri, nam meritum apud homines insinuavit Paulus ad Rom. 4, dicens: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*. Insinuat enim dari posse meritum apud homines, quod in opere mere humano fundatur. Unde hoc meritum non pertinet ad effectus gratiæ, et ideo in præsentem non consideratur, sed de solo merito apud Deum agimus. Ulterius vero subdistingui potest hoc meritum in naturale et gratuitum. Naturale est quod in bonis operibus moralibus et ordinis naturalis inveniri potest. Nam talia opera de se meritoria sunt alicujus præmii, etiam apud Deum, ut sentit D. Thomas 1. 2, quæst. 21, art. 4, et inferius incidenter videbimus, et tale meritum per se non est effectus gratiæ, pertinet enim ad ordinem et providentiam naturalem, possetque in homine creato in puris naturalibus inveniri; imo Augustinus solet interdum gentilibus aliqua bona operantibus, ut Romanis, illud tribuere. Est autem hoc meritum valde imperfectum, ut infra videbimus, et ideo meritum humanum solet ab Augustino appellari, et insinuat a Concilio Arausicano, d. c. 6. Dicitur autem humanum, non quia non sit apud Deum, sed quia et solis viribus humanis fit, et solum humanum vel temporale præmium meretur.

6. *Meritum gratuitum hic tractandum præcipue.* — *Ejus varii modi.* — Aliud est ergo meritum gratuitum, quod dici etiam potest divinum et supernaturale, quia divina tantum et supernaturali virtute perfici potest, et

quia de se tendit ad supernaturalem finem, et solum supernaturalem præmii dignum esse potest, et tale meritum est proprius effectus gratiæ, de quo hic agimus, et solum illud nomine meriti dignum censemus. In hoc autem merito latitudo etiam et varietas invenitur, et primum ac præcipuum locum tenet illud, quod dici potest meritum excellentiæ, vel, ut a bonis Theologis appellatur, meritum de rigore justitiæ, quod est proprium Christi Domini, quia in gratia unionis fundatur, et ideo de illo dictum est in tom. 1 tertiæ partis, partim in disp. 4, partim in 39 et sequentibus. Aliud ergo est meritum commune seu inferioris ordinis, quod in persona creata per gratiam adjuncta inveniri potest, et hoc tandem subdistinguitur a Theologis in meritum de condigno et de congruo: prius est meritum simpliciter et de justitia; posterius est meritum secundum quid, et ex quadam decentia. Unde distinctio illa analoga est, ideoque nihil de merito in communi, ut ab illis duobus abstractit, sed de utroque membro sigillatim dicendum erit; nam illa ostendendo ac declarando, et partitionem comprobabimus, et totam meriti rationem exponemus. Dicemus ergo prius de merito condigni, quia meritum congrui per habitudinem ad illud cognosci debet, quia est veluti quædam participatio ejus, ab illius perfectione deficiens. Circa meritum autem de condigno prius explicabimus an sit, simulque apud Deum esse ostendemus; postea quid sit, quasve conditiones requirat; tertio, quid sub meritum condigni cadat; ac denique quo jure ac titulo tale præmium debeat.

## CAPUT I.

UTRUM HOMINES VIATORES POSSINT APUD DEUM ALIQUID SIMPLICITER SEU DE CONDIGNO PROMERERI?

1. *Error hæreticorum negans, et eorum varietas.* — *Primum erroris fundamentum, quod simul excluditur.* — *Secundum fundamentum.* — *Tertium.* — In hoc puncto controversia est cum hæreticis, et aliqua ex parte inter Catholicos. Hæretici enim omnino negant posse homines mereri apud Deum, et multi quidem nullo modo vel ipsum nomen meriti in operibus justorum admittunt, præsertim in ordine ad salutem et vitam æternam. Et hæc fuit sententia Lutheri, quem Calvinus et alii secuti sunt. Posteriores vero illorum sectatores,

quamvis nomen meriti admittant, semper negant esse proprium meritum in dignitate operum fundatum, sed in sola voluntate et acceptatione divina, et hoc ipsum meritum nolunt esse vitæ æternæ aut salutis, sed aliorum præmiorum inferioris ordinis. Ita fere referunt Bellarminus, libr. 5 de Justificat., cap. 1; Lindanus, lib. 3 Panopliæ, capit. 20; Stapletonius, lib. 10 de Justificat., in principio, et capit. octavo; Tiletanus, in Apologia pro decretis Concilii Tridentini; Vega, in Opuscul. de Justificat., quæst. 4. Fundamenta hæreticorum sunt: primum, quia in hominibus, etiam justis, nullum est opus bonum simpliciter, sed omnia sunt peccata, ac proinde non solum nullo præmio digna, sed etiam de se digna supplicio, nisi Deus ex misericordia sua illa non imputet. De quo fundamento dictum sufficienter est in libro primo, a capite 3, usque ad 7, et in capite 20, 25 et seqq., et in libro decimo, tractando de conservatione gratiæ multa diximus, quæ illud fundamentum evertunt, et plura videri possunt in Bellarmino, libro 4 de Justificatione, capit. 20 et 21; et Stapletonio, in dicto libr. 10, capit. 7; et Vega, lib. 11 in Tridentinum, a cap. 20. Aliud fundamentum hæreticorum est, quia Scriptura damnat eos, qui de suis operibus confidunt, et ex illis justificari, sive obtinendo, sive augendo justitiam, existimant, et ita intelligunt illud ad Romanos quarto: *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*; et illud ad Ephes. 2: *Non ex operibus, ne quis gloriatur*; et illud ad Galat. 3: *Hoc solum a vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? sic stulti estis ut, cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini*. Unde infra subjungit: *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*. Quasi sensus sit, maledictum esse illum qui in operibus suis confidit, cum per ea nunquam possit legi satisfacere. Et hoc confirmant ex Augustino, concion. 2 in Psal. 70, dicente: *Supplicium tibi debetur, et cum præmium venerit, sua dona coronabit Deus, non merita tua*. Et serm. 15 de Verb. Apost., circa princip., tractans illud: *Pro nihilo salvos facies illos*, inquit: *Prorsus gratis das, gratis salvas, quia nihil invenis in eis unde salvos, et multum invenis unde damnes*. Tertium fundamentum est, quia injuria fit meritis Christi, cæteris hominibus merita tribuendo; singularis enim excellentia et gloria Christi est, quod ipse solus potuit apud Deum mereri, et ideo solus est cæteris hominibus auctor sa-



lutis et gloriæ; ergo qui sibi merita attribuunt, gloriam Christi ex parte usurpant, et inter merita Christi, et propria merita partiri volunt, et non totum Christo tribuere, quod summæ ingratitudinis est. Atque his addunt alia quæ postea circa meritum gloriæ expendemus.

2. *Quorundam catholicorum sententia in præsentis questione.*—Secundo, licet Catholici omnes merita justorum apud Deum simpliciter fateantur, nihilominus aliqui eorum negant posse nos mereri de condigno, præsertim gloriam. Ita sensit Durandus, in 2, dist. 27, quæst. 2, ubi, num. 12, distinguit duplex meritum de condigno: unum improprium et large dictum, ex divina ordinatione et acceptatione proveniens; aliud proprium, quod inducit debitum et justitiæ obligationem ob dignitatem ipsius operis, et prius meritum admittit, ac posterius negat. Quem imitatur Burgens., in Addit. ad Lyræ, in Ps. 53, dum absolute negat aliquem, secundum legem ordinariam, mereri de condigno vitam æternam; Waldensis etiam non parum illi sententiæ favet, tom. 3 de Sacramentalibus, cap. 7. Nam, licet videatur loqui contra Pelagianos, ut magis exponit cap. 9, excedit nihilominus in modo loquendi, et carpens Scholasticos eo quod simpliciter meritum de condigno admittant. Citatur etiam pro hac sententia Marsilius in 2, quæst. 18, art. 4, conclus. 1. Sed in 2 videtur moderari sententiam, quam infra exponemus. Imo etiam aliqui tribuunt hanc sententiam D. Thomæ, quia in quæst. 14, art. 1, dicit in nobis non esse meritum apud Deum simpliciter, sed secundum quid. Et similiter loquitur Cajetanus, tom. 3 Opusc., tract. 11, c. 6, § *Verumtamen*. Sed alius est sensus utriusque, ut postea explicabimus.

3. *Primum argumentum præcedentis sententiæ.*—*Excisionis impugnatio, seu secundum argumentum.*—Fundamenta hujus sententiæ sunt: primum est illud ad Rom. 8: *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, ubi aperte videtur excludere dignitatem nostrorum operum, et rationem videtur explicare 2 ad Corinth. 4, quia *quod momentaneum est, et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Quod si quis respondeat Paulum loqui de condignitate, seu æqualitate rei ad rem secundum substantiam earum, non vero excludere æqualitatem proportionis, contra hoc objicit secundo Durandus,

quia si qua esset hujusmodi dignitas proportionis in nostris operibus, maxime proveniret ex eo quod talia opera fiunt ex gratia, et ex Spiritus sancti motione; sed hoc non satis est; ergo. Major supponitur, tum ex communi sententia, tum etiam quia nihil aliud cogitari potest. Minor probatur, tum quia Spiritus Sanctus est extrinsecus motor a quo talis dignitas sumi non potest, nam etiam interdum movet Spiritus Sanctus peccatorem ad bene operandum, et non propterea de condigno meretur: tum etiam quia gratia solum metaphorice dicitur semen gloriæ, et ideo nunquam potest operibus tribuere sufficientem proportionem seu condignitatem ad gloriam.

4. *Tertium argumentum.*—Tertio argumentatur, quia meritum simpliciter ac de condigno est illud opus, cui ex justitia debetur merces, ita ut si is, apud quem alius meretur, mercedem neget, sit simpliciter injustus; sed impossibile est esse tale meritum hominis ad Deum; ergo. Majorem supponit Durandus, tum in loco citato, tum in 1, distinction. 17, quæst. 2, n. 13, et in 3, d. 20, quæst. 1, numer. 4, tanquam certam ex communi sensu et significatione istarum vocum. Minorem autem probat, primo quia non potest homo facere Deum sibi debitorem ex justitia, quia nec condignas gratias illi agere potest pro beneficiis acceptis; ergo multo minus potest illum ex justitia obligare. Secundo, quia alias non posset Deus etiam de potentia absoluta negare gloriam homini merenti illam, quod sentire, ait Durandus, est temerarium seu blasphemum. Et sequela patet, quia non potest Deus esse injustus per quamcumque potentiam. Tertio, quia quicquid homo habet, est ex libertate Dei acceptum, et semper manet sub dominio Dei, magis quam ipsius hominis; ergo nullum opus potest esse in homine, quod sit condignum meritum præmii apud Deum.

5. *Assertio prima affirmatur de fide.*—Primo vero dicendum est homines posse vere et proprie ac simpliciter apud Deum mereri, ex gratia seu per gratiam operando. Hæc conclusio sub his terminis est de fide, ut late probant Vega, Tiletanus, Bellarminus et Stapletonius, locis allegatis, Hosius in confession., cap. 73. Ex quibus breviter probatur assertio, primo ex Scriptura, quæ operibus hominum meritum tribuit, Ecclesiastic. 16: *Misericordia faciet unicuique locum secundum meritum operum suorum*. Nec refert quia græ-

ce solum dicatur, *secundum opera sua*, nam interpres verum sensum declaravit, juxta sententiam Pauli: *Si ex operibus, jam non est gratia*, ad Romanos 11, quia meritum intercedit. Confirmat hoc Paulus ad Hebr. 13 dicens: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*. Ubi verbum activum passive positum est, sensus vero est: Talibus operibus promeremur Deum, qui est merces nostrorum operum, juxta illud Genes. 17: *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*, ut ibi notavit D. Thomas, lection. 2, in fine. Unde confirmatur, quia merces respondet merito; sed Scriptura docet operibus justorum respondere mercedem apud Deum; ergo in eisdem locis satis expresse tribuit meritum operibus justorum. Major ex terminis satis clara est in usu Latinorum, qui nomen etiam mercedis a merendo derivant. Probari vero etiam potest ex Paulo, ad Romanos 4 dicente: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; et ex Augustino, epist. 105, dicente idem esse mercedem operanti quod stipendium militanti. Minor autem ex dicto loco Genes. 17 sufficienter probatur. Nam sicut Abraham a Paulo proponitur tanquam exemplar justificationis per gratiam, ita potest a nobis proponi ut exemplum, in quo facta est omnibus mercedis promissio. Generaliter vero Sapientiæ 5: *Justi in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum*; et Christus Dominus, Matth. 5: *Merces vestra copiosa est in calis*; et Matth. 10: *Qui recipit justum, in nomine justii, mercedem justii accipiet*.

6. *Secundo probatur ex aliis Scripturæ verbis æquipollentibus.*—Simile argumentum sumitur ex aliis nominibus mercedi æquivalentibus. Unum est nomen coronæ, nam, ut dixit Augustinus, lib. 50 Homiliarum, in 14: *Corona justitiæ merces est*; ait autem Paulus, 2 ad Timoth. 4: *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judea*, et addit: *Non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus*. Dixerat autem in capite 2: *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*; et Jacobus, capite 1 de justo dicit: *Cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*; et Apocalyps. 2: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*; et capite tertio: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*: et in eisdem locis hoc meritum et præmium ejus describitur. Denique Paulus, 1 ad Cor. 9, evidenter declarat

hanc coronam esse præmium laborum seu certaminis, quam nomine etiam *bravii* significat, dicens: *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite ut comprehendatis*. Quod etiam declarat exemplo eorum qui in agone contendunt, et subdit: *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*. De qua etiam dicit ad Philipp. 3: *Ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis*. Ac denique Tob. 4, cum pater consulisset filio: *Quomodo potueris, ita esto misericors*, subjungit: *Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis*; præmium autem evidenter dicit relationem ad meritum. Unde Sapientiæ 4 de casta generatione dicitur: *In perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens*.

7. *Ex locis aliis agentibus de correlativo meriti.*—Ultimo, hoc evidenter confirmant illa Scripturæ testimonia, in quibus homines judicandi a Deo dicuntur secundum opera sua, juxta descriptionem ultimi judicii a Christo Domino factam, Matth. 25, et a Paulo significatam, cum dixit, 2 Corinth. 5: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sive bonum, sive malum*; et in Apocalyp., c. 2, ait per Joannem Dominus: *Ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera sua*. Dicitur autem dari secundum opera, seu ex operibus, quod ex merito illorum datur, ut ex Paulo retuli, et satis declaratur Apocalyps. 22 cum dicitur: *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Et in eodem sensu cap. 14, de his qui in Domino moriuntur, dicitur: *Opera enim illorum sequuntur illos*. Et propterea etiam id quod propter opera confertur, non donari, sed retribui in Scriptura dicitur; retributio enim non liberalem donationem, sed recompensationem aliquo modo debitam significat, juxta illud Pauli ad Rom. 11: *Quis prior dedit illi, et retribuatur ei?* et juxta verbum Christi Luc. 14: *Cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et cæcos, et beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuatur enim tibi in resurrectione justorum*. Quam retributionem inspiciebat David, cum dicebat Psalm. 118: *Inclina vi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*: et Psalm. 17: *Retribuatur mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mea-*